DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASTHMATE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASTHMATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS CUPPLES,

Hibernus,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

ARTIS OBSTETRICIÆ ACAD. ED. PERMISSUS,

NECNON

AD REGALES COPIAS TORMENTARIAS,

NUPER CHIRURG. SECUND.

——————" paulatim in pectora venit;
Vitalesque vias et respiramina clausit."——OVID.

" Macerat, inque metu habet, curis fatigat.
———" exest anxius angor."——LUCRET. Lib. iii.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI SUO CARISSIMO,

AMICO PRIMO, ATQUE OPTIMO,

SNOWDEN CUPPLES, S. T. D.

VICARIO GENERALI DE *DOWN* ET *CONNOR*,

IN HIBERNIA,

ECCLESIÆ DE *LISBURN* RECTORI, &c. &c.

AMORI VERE PATERNO,

QUO EUM AB EUNTE

ÆTATE SEMPER PROSECUTUS SIT,

NECNON

STUDIO AMICO ATQUE BENIGNO,

QUO EUM OMNI TEMPORE, CONCILIIS PRÆCEPTISQUE

ADJUVIT,

HASCE IGITUR STUDIORUM PAGINAS,

QUALESCUNQUE SINT,

DEDICAT ATQUE CONSECRAT

FILIUS GRATUS.

SPECTATISSIMO ET OPTIMO VIRO,

JACOBO MACDONNELL, M. D.

COLLEG. MED. REG. EDIN. SOC.

REG. MED. SOCIET. EDIN. SOCIO,

NECNON OLIM

PRÆS. ANNUO, &c. &c. &c.

ARTEM APOLLINAREM APUD *BELFAST*

CUM SUMMO FRUCTU EXERCENTI,

NON MAGIS ARTIS MEDICINÆ SCIENTIA ORNATO,

QUAM PERITIA SUA IN ARTE SANANDI CONSPICUO,

NEC IN SCIENTIA LITERISQUE QUAM BENIGNITATE AC

MORUM SUAVITATE INSIGNI;

NECNON

VIRTUTIS DECORI ET MORIBUS BONIS PRÆSIDIO,

QUI HOMINEM, PATREM, AMICUM VEL CIVEM EXORNANT;

IDCIRCO VIRO DIGNISSIMO, IN TESTIMONIUM EXIGUUM

AMICITIÆ HAUD INGRATI ANIMI,

HASCE STUDIORUM PAGINAS,

DEDICAT ET CONSECRAT,

ATQUE DIU AMICIS ET PUBLICO,

INGENIO AC VIRTUTE ILLE EXORNET,

AC FELICITER VIVAT AC VALEAT, BONIS OMNIBUS AMATUS,

EX IMO PECTORE

VOVET

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASTHMATE.

Auctore Carolo Cupples.

Asthma a Culleno celeberrimo sic definitur: "Spirandi difficultas per intervalla subiens, cum augustiæ in pectore sensu et respiratione cum sibilo strepente; tussis, sub initio paroxysmi difficilis vel nulla, versus finem libera, cum sputo muci sæpe copiosa."

HISTORIA MORBI.

Hic morbus utrumque sexum, sed sæpissime masculinum, imprimis illos habitu plethorico præditos, quibus impetus frequentes summam inducunt debilitatem, adoritur: ætatem puerilem aliquando, sed raro afficit. In plerisque exemplis post pubertatem prodit. Anteriore parte noctis, sed interdum per decursum diu, aggreditur. Ante Asthmatis impetum sensum languoris æger percipit, et spiritus plerumque demissi sunt; dolor capitis, cum sensu plenitudinis circa ventriculum, quoque adest. Haud multo post hæc symptomata visa, molestia generalis et jactatio corporis in lecto sequuntur; dyspepsiæ signa Asthma sæpissime prægrediuntur; tamen in nonnullis exemplis dyspepsia abest. Paroxysmus haud raro cum strictura molesta circa partem superiorem thoracis, et sensu angustiæ in pulmonibus quasi manu compressi fuerunt qui respirationi multum obest, accedit. Impetus nonnunquam nocte post dyspepsiam primo visam incipit, et respiratione diffi-

cili paulatim ingravescente, cum inspiratio tum exspiratio tarde et cum sibilo perficiuntur.

Loquelam hoc tempore ingens molestia et dolor comitantur, et æger spem levaminis subiti fovere propensus est. Irritatio et sensus pruritus circa laryngem, cum conatibus crebris sed inefficacibus ad tussiendum, nunc percipiuntur. Si ægrum decumbentem paroxysmus adoritur, situm quam erectissimum statim legit, et in hoc situ ut opi pulvinorum per noctem servaretur, opus est. Etiam hoc facto impetus aliquamdiu manet, tunc paulatim lenior fit et æger aliquid somni capit. Paroxysmus per horas plurimas, ut ex media nocte usque ad mane satis provectum perstat. Cum remissio gradatim fit, spiritus liberior et plenior et minus laboriosus evadit, adeo ut multum cum gaudio loqui et tussire facilius et gratius æger potest. Tussim expectoratione libera et facile muci comitante, levamen magnum et subitum captat. Remissio nunc magis insignis est, et ægro non turbato, somnus, diu exoptatus, brevi surrepit. Æger mane expergescens sensum insignem angustiæ transversim thoracem sentit. Sed respiratio plerumque facilior et liberior est. Conatu levis-

simo aliquamdiu post impetum facto, paroxysmus iterum facile excitatur. Æger utpote decumbere impotens, caput et humeros secundum naturam insigniter tollit. Cum paroxysmis expectoratio copiosa libera et facilis adest, et hi denique leniores evadunt; remissiones fiunt donec homo postremo impetibus repetitis liberatus, muneribus solitis facilius, quam antehac, fungitur. Urina ante impetum inceptum reddita, plerumque pallida et copiosa est, sed post hunc finitum sæpissime est copia naturali ruberrima et sedimentum haud infrequenter demittit. Pulsus statum suum naturalem sæpissime servat, sed multis inter paroxysmum pulsus frequens: sæpe calor, sitis et nonnihil febris, accedunt; nonnullis vultus floridus, aliis accidit, "recta cervice," verbis utor Doctoris Home, "spiritum trahit et egregie elevat humeros: vomitus bilis flavæ; lachrymæ involuntariæ; cordis tremor *." Mucus ad initium tussi ejectus, plerumque est albidus et spumosus, vel dulcis salidus vel putridus; sed, remissione paula-

---

* *Vide* Principia Medicinæ a Francisco Home, p. 254.

tim accidente, expectoratione prorsus libera ; mucus fit subflavus, spissus; et aspectus spumosus, impetu incipiente visus, deest ; tamen in aqua natat.

Post accessionem hujus morbi, homo præter solitum debilis est, et in multis exemplis vellicationes lenes circa brachia, humeros et femora, diu post paroxysmum finitum sentiuntur. In plurimis exemplis habitus plethorici, facies inter impetum maxime florida est; et finem versus, colore livido fit; atque in casibus hujusmodi sudor profusus circa pectus erumpit.

Si expectoratio libera muci ex pulmonibus malo adest; huic nomen Asthmatis humidi, sed illa absente Asthmatis sicci, imponitur. In Nosologia sua valde celeberrimus CULLENUS de speciebus tribus loquitur: species Idiopathicæ sunt, primo, Asthma Spontaneum, sine causa manifesta, vel alio morbo comitante: Secundo, Asthma Exanthematicum, a scabie vel alia acris effusione retropulsa: Tertio, Asthma Plethoricum, a suppressa evacuatione sanguinis antea solita, vel a plethora spontanea. Præter has species Symptomaticæ sunt ab auctoribus quibusdam memoratæ; ut

Asthma Hypochondriacum, Asthma Arthriticum, Asthma venereum.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Hic morbus sæpe est hæreditarius: per totum vitæ decursum, si semel, modo supra dicto inciderit, maxime proclivis est perstare.

Proclivitas hæreditaria, forma peculiaris pulmonum, formatio prava thoracis et viscerum hoc inclusorum; et collum breve, cum humeris teneribus, arctis et prominentibus, causæ prædisponentes habendæ sunt.

CAUSÆ EXCITANTES.

Causæ excitantes Asthmatis, secundum constitutionem illorum qui sic afficiuntur, diversæ sunt. Alius tempestate frigida, alter calida afficitur. Asthma vaporibus noxiis, vel ex plumbo vel arsenico orientibus, excitatur. Vaporem inhalando ex pice Burgundiæ liquefacti orientem, il-

lud inductum fuisse mihi constat. "Effluvia acria vel pollines veluti radices ipecacuanhæ; vapor prunæ, idem afficiunt *." Aër impurus et fumosus; vicissitudines subitæ cœli, ut ex frigido ad calidum, et vice versa, vel ex atmosphæra graviora ad leviorem. Sed longe plures Asthmaticos cœlo frigido et nebuloso magis imprimis, si aër sit gelidus, facillime affici, mihi persuadetur. Acrimonia scorbutica, scrofulosa, arthritica et psorica repulsa. Dyspepsia vel irritatio in aliquo viscerum abdominis sita; impetus catarrhi frequentes, hydrothorax, polypi, aneurismata aortæ, vel vasorum magnorum circa cor; exinanitiones diu latitæ suppressæ, ut fluxus hæmorrhoidalis, &c. Asthmati originem præbuit.

Illi, qui vicissitudinibus tempestatis facile afficiuntur, etiam ab aliqua re capacitatem thoracis coarctante, si male habent; ventriculus ab aëre in illo collecto distentus, vel post diætam plenam, eundem inducet effectum. Exempla Asthmatis a vitiis viscerum abdominis sæpe geneti, ut ex

---

* *Vide* PARR, Lond. Med. Dict.

male hepate aucto, prodita sunt. Nec exempla desunt hujus mali ex magnitudine aliorum viscerum abdominis aucta inducti *. Exercitatio vel aliquid circuitum sanguinis accelerans, Asthmaticos multum afficit.

CAUSÆ PROXIMÆ.

SENTENTIÆ diversæ de causa proxima Asthmatis prolatæ fuerunt. Antiquiores viri varias de hac sententias protulerunt. WILLISIUS Asthma convulsivum (videas in Pharm. Rationi, p. 151.), ad spasmum fibrarum motricium sine magna bronchiorum obstructione, aut compressione, retulit; quia non uni loco aut peculiari cuipiam organo limitatur, sed ad partes omnes respiratione dicatas, extenditur. Doctissimus MONRO senior, musculos laryngis spasmo contractos inculpavit; nam his musculis in cane arte irritatis, difficultatem spirandi et verum Asthma movere

* *Vide* Opera MORGAGNI, v. i. lib. 2. epist. 15. art. 12.

ad arbitrium potuit. Inquit Doctissimus HOME, "Obstructio bronchiorum et vesicularum, humoribus crassis vel tuberculatis induratis. Irritatio nervorum respirationi inservientium, et hinc spasmodica fibrarum annulos cartilagineos bronchiorum nectentium, contractio,*" causæ proxima sunt. CULLENUS celeberrimus dicit, causam proximam Asthmatis videri esse contractionem præter naturam, et quodammodo spasmodicam fibrarum musculo sarum bronchiorum; quæ non solum prohibet dilatationem bronchiorum, qua opus est ad respirationem liberam et plenam; sed rigiditatem, quæ obest expirationi plenæ et liberæ, quoque præbet.

PROGNOSIS.

CUM Asthma juniores adoritur magis imprimis, si constitutio ægri ab omni alio morbo immunis sit, illud plerumque sanitati cedit. Si ex quovis casu inductum fuerit, multo facilius sanatu; quam si sua sponte, vel ex proclivitate ortum

---

* *Vide* Princip. Med. p. 254.

habuerit. Cum in ætate provecta cum paroxysmis frequentibus accedit; et si sit sequela prædispositionis hæreditariæ, in plerisque exemplis superari nequit.

Haud raro in phthisin pulmonalem et sæpe in hydrothoracem desinit. Tumores anasarcam referentes; artuum inferiorum, brachiorum paralysis, respiratio tremula cum deliquio animi, frequente; cordis palpitatio, urina parca, extremitates frigidæ; fumatio oris, summum denotant periculum. Aneurisma aortæ, quod pulmones mole sua compressit; et quo minus sanguis per eos cursum persolvat, impediit. Aliquando induxit sed imprimis nocet diaphragma gravitate sua nimis onerando, et sic respirationi et obest, et periculosum fit. Nonnunquam in pneumoniam desinit. Sed hæc in junioribus circa primum vel secundum impetum morbi plerumque accedit; et sæpe cito fit lethalis. Sed præter hæc Asthma est morbus, qui hominem sic affectum, per decursum longæ vitæ vexet, et quem in plurimis exemplis ingens periculum non comitatur. Interdum tamen celerrime ægrum tollit.

DIAGNOSIS.

Paroxysmi subito accidentes, ad intervalla redeuntes; cum spasmo gravi vel sensu constrictionis circa pulmones, qui efficiunt ut æger ex situ recumbente in erectum quam celerrime assurgeret: respiratio frequens et difficillima cum sibilo strepente, et levamen plerumque magnum et subitum ab ægro aëri aperto subjecto expertum, Asthma ex ullo alio morbo, præsertim historia priore ægri cognita, facillime dignoscet. Asthma nihilominus cum dyspnœa aliquando confundi potest; quia nonnullæ ex causis, Culleno celeberrimo judice, levamini et excerbationibus proclives sint, unde dyspnœa ab his inducta paroxysmis adoriri videatur; sed tales accessiones aspectuum impetuum verorum Asthmatis, qui supra memorantur, raro induere ipse credit *.

---

* *Vide* Cullen, Prax. Med. p. 107.

CADAVERUM SECTIO.

Pauca de scientia ex cadaveribus inspectis derivata dici possunt ; nam natura et causa morbi adhuc quodammodo latent. Sectiones a Morgagni pariter ac aliis anatomicis peractæ ; serum extravasatum in cellulis pulmonum aërem continentibus ; Asthmate laborantium adesse certum, reducit. In illis exemplis, quibus homo accessionibus hujus morbi diu subjectus fuit, vitia diversa viscerum variorum detecta fuerunt. Pulmones contracti et arcte pleuræ adhærentes, valvulæ cordis in os conversæ, et foramen ovale sæpe pervium ; reperta sunt. Cor ampliatum et lamina densa materiæ adiposæ, alias copia ingente seri natans, inventum fuit. Pulmones plerumque quod ad aspectum valde mutati, vel maculis subnigris vel tuberculis obducti, reperiuntur. Pulmones adeo molles ad tactum ut cataplasma referrent, observavi ; nonnunquam pulmo prorsus deficit, ut in exemplo Polensis a claro Joanne Bell, in tomo secundo Anatomiæ ejus memorata.

Juvenis annos viginti quatuor natus, genere Polensis, et tempore mortis ejus miles in exercitu

Germanico; e cunabulis respiratione difficili et anxietate præcordiorum perpetuo laboraverat. Levamen malorum leviorum pectoris ter quaterve expertus fuit, sed postremo venæsectio et medicamenta demulcentia; nullum ediderunt effectum. In nosocomio militari per duas menses ægrotabat; ubi ex necesse mala ejus probe cognita fuerunt: respiratione difficili leniter laborabat; sed quovis die in lecto sedens erectus, subito morti occubuit. Cadavere inciso, latus dextrum pulmonum prorsus deesse visum fuit; non morbo deletum ut sæpe vidimus; non aqua oppressum, nec pure erosum; sed omnino sublatum; res sibi propria ex partu, nam ordo peculiaris vasorum hoc comitatus est: in latere dextro nullum fuit vestigium pulmonum, non etiam macula minima ad designandum locum eorum priorem, si talis adfuisset: nullus fuit ramus tracheæ ad lobum dextrum, natura designatum; sed utrumque crus tracheæ in pulmonem sinistrum, qui ingens fuit immersum. Nulla bifurcatio fuit arteriæ pulmonalis, ad ramum præbendum lateri dextro, sed totus truncus arteriæ pulmonalis in pulmonem sinistrum descendit.

Varii alii affectus, cadavere inciso, reperti fuerunt; et exempla prodita sunt quibus homo Asthmate per plurimos annos laboraverat, sed sectione facta, pulmones cum omnibus visceribus thoracis sani ferunt. De uno exemplo hujusmodi imprimis legisse memini; mulieris innuptæ annos quadraginta natæ; Asthmate diu laborantis, vox cujus ob hanc causam minuta fuit. Cadaver ejus in Theatro Anatomico Bolognæ, coram VALSALVA et studiosis 1704, incisum fuit. Viscera abdominis nihil præter solitum exhibuerunt. Ovaria prorsus fuerunt scirrhosa, dura et alba; et in his aliquæ fuerunt hydatides incumbentes.

Sed in thorace et cranio nihil aspectus fuit morbosi. Parte posteriore laryngis a MORGAGNI in longitudinem secta, et marginibus avulsis aperta; pus albidum et spissitudine cataplasmatis in forma suberis, cavitatem laryngis omnino occlusit. Tunica laryngem obducens ulcerata fuit, et in modo simili, ubi, cartilagines annulares asperæ arteriæ proximas, sed hic lævius, obtexit *.

---

* *Vide* Opera MORGAGNI, de Morbis Thoracis.

RATIO MEDENDI IN PAROXYSMO.

In curatione Asthmatis nihil quod morbum ex toto fugaret proferre possum, quia pauca remedia multa vi pollere; et quodam laudibus elata minime quidem prodesse probe constat. Idonea medicamenta tempestive exhibita, in exemplis plurimis morbo procul dubio levamen præbent. Primo loquor de missione sanguinis. Signa recensita in Asthmate in habitu plethorico accedente, respiratio difficilis, quæ suffocationis metum præbuit, et vultus floridus cum pulsu pleno; symptomata sunt quæ plurimos medicos hodiernos inter paroxysmum sanguinem mittere suadent: sed consuetudinem hance in omnibus exemplis hujusmodi, minime convenire nihil dubii mihi restat. Si homo Asthmati diu subjectus fuisset, vel ætate nonnihil provectus utcunque plenus sit; nisi signa sunt manifesta pneumoniæ, apoplexiæ vel alicujus talis morbi imminentis; missionem sanguinis generalem perficere haud necesse est; credo: fortasse in habitu pleno ejusmodi, hirudines vel cucurbitulæ ad præcordia admotæ, consilio san-

guinis detractionis optime respondebunt. In juvenibus cum sanguinis detractione generali opus esse habetur, ille ex brachio vel vena jugulari mittatur. Sed notandum est venæsectionem non apte vel tuto sæpe institui posse, et, imprimis, si impetus frequentes sine periculo vitæ accesserint, illam expectorationem prohibenda, et contra exhaustionem inducendo, unde vires ægri fortasse nunquam reficientur, summum periculum vitæ posse inferre.

PURGANTIA.

Ex eodem principio, quod medicos sanguinem mittere suadet, ad purgationem plenam in habitu plethorico; confugiendum est. Sed plerisque exemplis Asthmatis, purgantia maxime nocere inter fere omnes constat; hæc laborantibus Asthmate non convenire et sæpissime nocere videntur. Quia Asthmatici alvo tarda vel astricta, fæcibus accumulatis se pejus plerumque habent, alvum laxantibus idoneis, ut oleo ricini, assafœtida, vel talibus medicamentis aperientibus qualia æger sumere consuetus est, deplere idoneum est. Rheum palmatum medicamentum laxans est

præclarum. Inter paroxysmum, si alvus maxime sit astricta, enema emolliens vel laxans quod multum levaminis præbet, injiceatur.

EMETICA.

Cum æger indigestione, ut flatu et aciditate ventriculi, quæ Asthmate frequenter adsunt, conflictatur, consilio hæc tollendi pariter ac impetum pulmones versus promovendi, emetica sunt utilia. Hæc ante paroxysmum expectatum, quod sæpe ni hic accederit impedit, commodissime exhibentur. Impetus multo lenior est; spasmus et constrictio non adeo sunt molesta; et expectoratio multo liberior est. Cum tantum periculi spasmum comitatur, ut metus sit suffocationis subiti, emetica nocerint, et minime exhibere debent. Signis inflammationis vel ingenti exhaustione præsentibus, imprimis inter paroxysmum pariter inepta forent. Sed quamdiu multa horum adsunt et dyspepsia urget, hæc iterum atque iterum fas est. Emeticum maxime idoneum vel potius illud quod sæpissime usurpatum vidi, est

pulvis ex ipecacuanha et tartrite antimonii compositus.

DIGITALIS.

Hoc medicamentum a quibusdam medicis multum laudatum fuit, et procul dubio memorari debet. In aliquis exemplis Asthmatis admodum profuit: imprimis a casu Doctore Sugrue, Corkagiæ prolato *, hominis pallidi et confecti, cui erat sensus suffocationis, et angustiæ circa thoracem, qui parum dormivit et multum oppressus semper experrectus, cui opus fuit per reliquam noctem se erectum situm servare, et qui usque ad ad mane se non superfuturum esse timebat. Pulsus centum et viginti, et maxime debilis. Exhibeat tincturam Darwini in dosibus guttarum xv, bis indies usurpatis. Eo iterum viso, post spatium duarum hebdomadum elapsum, sibilum et oppressio thoracis abfuerunt, et vultus atque aspectus generalis omnino restituto fuerunt. Pulsus circiter nonaginta, et satis validus; appetitus

* *Vide* Med. and Phys. Journ. vol. iv.

ciborum pari ratione restitutus, medicamenta adhuc usurpata tempore quo Doctor SUGRUE scripsit; valetudine meliore quam decem annos ante gavisus est æger. Scilla maritima et digitalis simul sumptæ, in Asthmate pituitosa profuerunt. Pauca inter hoc medicamentum usurpandum, nimirum, quod ad habitum, ætatem et vires ægri, in memoria tenenda sunt. Inter cursum digitalis ad functiones sensorii, conditionem pulsus et ventriculi, attentio summa tribuenda est. Cum ventriculum turbat aut debilitat, confectio opii, sed parva male cum cardiacis calidis sæpe administratur.

OPIUM.

HOC in Asthmate pariter ac aliis morbis spasmodicis diu laudatum fuit, et procul dubio utpote medicamentum validissime antispasmodicum.

Ad corrigendam irritabilitatem præter naturam pulmonum, opium sæpe et magis cum commodo, usurpatur. Aliquamdiu ante impetum expectatum sumendum est, et in exemplis plerisque remedium tutum, et validum, reperitur. Exemplum quod accedit Doctori BREE, effectus in-

faustos opii, nimia copia sumpti, ostendit. Grana quatuor solidi opii pro dosi cepit, quæ stuporem apoplexiæ similem, per duos dies, cum signis aliis periculosis, induxit. Paroxysmus horas quatuor citius diu proximo; duobus granis amplius usurpatis prodiit, et eventus infaustus fuit. Cum æthere sulphurico, assafœtida ad difficultatem spasmodicam respirationis levandum, cum commodo conjunctum fuit. Vaporis ætheris vapore aquoso diluti, inductio sæpe in Asthmate adhibita est, cum effectibus jucundis: nonnunquam autem symptomata ab ea augeantur. Cum Asthmatici domi manere coacti sunt, cum exercitationem idoneam ad evacuationes naturales regendas sumere nequeunt; opium in nulla forma convenit. His rebus existentibus hyosciamus fortasse omni effectui ex opio exoptato respondere potest. Ille viribus anodynis maxime pollere, et, ut cicuta, ab omni effectu astringinte cavere, alvum potius ciere valens cognitus est. Consilio actionem abnormem levandi, et dolorem submovendi, potius cum commodo usurpatus fuit. Extractum hyosciami cum acido nitrico mixtum,

haud mediocriter laudavit nobis BREE, nec perperam.

STRAMMONIUM.

FUMUS strammonii in curatione Asthmatis spasmodici, nuper multum laudatus fuit; et ob levamen subitum ab eo expertum, medicamentum præclarum existimatum est. Hoc modo in India Orientali usurpatur. Ratio ejus utendi est implendo bulbam tubi, ad tabacum exhaurendum accommodatum, quasi cum tabaco; et fumum inhalando. Pauxillum salivæ sine aliqua noxa devorari potest; hac lege, ut nimirum ejus ex singulis tubis impletis, non devoretur. Sensum caloris in pectore cui expectoratio accedit, defundit. Inter inhalandum, fluxus immodicus est salivæ, ingente calore fumi qui multo vehementia est fumus tabaci inductus. Plurimi hoc tabaco anteponunt, haud causa; quod pauxillum tabaci nauseam infert, e contra multi tubi strammonii sine hac inducta, exhaurire possunt. Ante paroxysmum expectatum exhaurire debet, nam idem post initium hujus inhali-

tum, per breve tempus impetum augere semper reperi. Hoc conatibus vehementibus fumum inhalando factis, tribuendum est. Cum non facultas est strammonium obtinendi, folia hyosciami vel conii maculati fortasse prodessent. Capita papaverum alborum communia, eodem modo exhibita; effectus pariter anodynos et minus noxios, inductura esse, perhibitum fuit. Digitalis, præsertim si signa hydrothoracis imminent, in usum veniat.

VESICATORIA.

Hæc in Asthmate sæpe admota fuerunt, sed de utilitate eorum inter medicos minime constat; plerisque scriptoribus testantibus Asthmati puro spasmodico, non profuerunt. Clarissimus Gregorius se Asthmatis paroxysmum ex applicatione vesicantium auctum, et, nisi fallor, morbum inductum vidisse dicit; quum in catarrho emplastrum vesicatorium sterno applicatum fuisset. In illa specie, cui nomen est Asthmatis catarrhalis, ubi homo vicissitudinibus tempestatis quam ulla alia causa magis afficitur; affectibus ægrorum, solamen præbere videntur.

Fonticuli quoque in Asthmate, in usum veniunt; et illi speciei, cujus plethora est causa maxime insignis, optime conveniunt; et, rebus sic existentibus, fluxus ope fonticuli, per pisum vel setaceum inter humeros insertum, continuari potest.

EXPECTORANTIA.

Parum de utilitate horum dicere possum, quippe expectorationem pariter facilem his non usurpatis, ac abusu eorum perpetuo expertus sum. Nihilominus vero, in hoc morbo, pulmonibus muco gravatis, et expectoratione difficili, sæpe percipiuntur. Cum expulsionem hujus muci, per medicamenta expectorantia promovere oportet; quælibet hujus classis, ut gummi ammoniaci, scilla maritima, &c. &c. usurpari possunt, et quodcunque effectus inducunt, exhibitione sua diuturna perit. Assafœtida cum scilla maritima conjuncta, frequentissime usurpatur. Decoctum rubiæ tinctorum, pro medicamini attenuante et expectorante, bono cum effectu in nonnullis exemplis sumptum fuit.

RATIO MEDENDI INTER REMISSIONEM.

Remediis tutilissimis in impetu exhibitis, commodis et incommodis eorum innumeratis, in secundo loco de illis per intermissionem usurpatis breviter dicam,

Tonica utilissima sunt, ut cinchona, diversæ ferri præparationes, carbonas ferri, sulphas ferri, aquæ chalybeatæ, infusa amara, &c. Quodlibet eorum per intermissionem, ventriculo ante hæc sumpta in conditionem idoneam redacto, exhibere potest. Dyspepsia, quæ huic morbo adest, sæpe difficillima est superatu; sed symptomata dyspeptica usu absorbentium et stomachicorum tolli possunt. Acetum per se usurpatum, distentioni et flatulentiæ ventriculi obstare repertum est.

Balneum frigidum per intermissionem, cum commodo sæpe admovetur; sed in illa specie quæ Asthma catarrhalis nuncupatur, nocet et summum periculum infert. Præter alia tonica, exercitatio vel jactatione in funiculo, navigatione, vectione in cursu, vel equitatione, sed imprimis ultima, magnopere juvat.

Consilium ultimum et præcipuum Asthmaticis est observare regularitatem, quod ad diætam et mutationem aëris. Victus debet esse levis facilisque concoctu; quodcunque flatulentiam gignit sedulo debet evitare. Caro animalium Asthmaticis optime convenire videtur, et hæc in parva copia semel sumenda est; quia ventriculus plenus semper nocet, et causa excitans fit paroxysmi. Cibus probe confici, et motus liber diaphragmatis, nunquam per diætam plenam impediri debet.

Laborantes hoc morbo, cœnam nunquam sumere, vel si hoc opus sit, tempestive et longe ante cubitum debent: quod ad potum pertinet, omnes liquores fermentati et spirituosi evitandi sunt.

Panis tostus et aqua frigida vel succus limonis, potui communi Asthmaticorum convenit. Theam et coffeam nimis calidam haustam paroxysmum inferre reperi. Has quam frigidissimas vel fortissimas haustas paroxysmum verum spasmodicum Asthmatis, in hoc parvo tentamine descripti, non levare mihi persauditur. Clarissimus Gregorius, haustum hujusmodi in uno exemplo mu-

lieri, omnibus aliis frustra sumptis, aliquid profuisse putavit.

Sed præ omnibus remediis, mutatio cœli vi hoc malum grave tollendi pollet. Quoniam hoc argumentum summam attentionem sibi vindicat, finem huic dissertationi non possum imponere sine paucis dictis de commodo Asthmaticis ad regionem calidiorem migrando accedente.

Plurimi hoc vitio affecti respirationem habent faciliorem, et minus in urbe magna frequente, arcta et immunda, effluviis omnis generis conferta, laborant; quam in rure, ubi facultas est aërem purum respirandi. Pauci in locis altis vel humidis et paludosis spiritum facile trahunt.

Atmosphæra sicca plerisque Asthmaticis optima est, et migratio ex cœlo frigido ad calidius, modus est maxime efficax, hoc malum ex toto superandi. Cœlum Madeiræ vel Meridionalis Galliæ illis maxime convenit, et hic per longum tempus, vel usque ad omnia symptomata Asthmatis digressa, vel constitutionem novam et validam acquisitam, commorandum est.

Sydenhamus præclarus quanti refert mutatio cœli in hoc morbo probe perspexit, ut ex ope-

ribus suis, pagina 485. patet. Hinc fit quod illi secunda valetudine per æstatem gaudentes, morbus quibus maxime obnoxii sunt, exempli gratia, podagram, Asthma, tussim.

Quando aliqua causa prohibet quo minus Asthmatici in regionem calidiorem migrarent, illi qui vicissitudinibus tempestatis vel algoribus, quam ulla alia causa plus afficiuntur; hypocaustum in conclavibus hieme adveniente ponere, et calorem cameræ ad gradum quo respiratio sit facilis, augere debent. Fenestræ quoque per tempus gelidum, quam clausissimæ servandæ sunt. Si ad hæc attentio adhibeatur Asthmatici, conditione multo jucundiore quam aliter fruerentur. Denique Asthmatici ad vestitum suum sedulo attendere debent, id est, ut hic ex materiis calidissimis constet. Laneolum indusium, cum tunica villosa præterea, per hiemem optime conveniet.

PROPHYLAXIS.

Causæ excitantes sedulissime evitandæ sunt, diæta tenuis si plethora adsit sumenda est, et

omnes excessus cavendi. Alvi evacuationes regulares esse debent, et exercitatio et diæta idonea, &c. instituendæ sunt. Atmosphæra vitiata et fumi ex metallis orientes evitandi sunt. Migratio in regionem calidiorem suadenda est.

FINIS.